



BOLETIN ECLESIASTICO

DEL

OBISPADO DE SIGÜENZA.

Esta publicacion oficial saldrá por un orden regular dos veces al mes, segun disponga el Prelado.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE IX JUNII MDCCCLXII.

Adstantibus etiam Patriarchis Primatibus Archiepiscopis Episcopis solemnibus Sanctorum Martyrum in Japonia et Michaelis de Sanctis Canonizationis causa Romae congregatis.

Venerabiles Fratres: Maxima quidem laetitia affecti fuimus, Venerabiles Fratres, cum Sanctorum honores et cultum, Deo bene juvante, septem et viginti invictissimis divi-



nae nostrae religionis heroibus hesterno die decernere poterimus, Vobis lateri Nostro adstantibus, qui egregia pietate ac virtute praediti, et in sollicitudinis Nostrae partem vocati in hac tanta temporum asperitate strenue dimicantes pro Domo Israel summo Nobis solatio et consolationi estis. Utinam vero dum hujusmodi perfundimur gaudio, nulla moeroris, luctusque causa Nos aliunde contristaret. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum videamus tritissima, et nunquam satis deploranda mala ac damna, quibus cum permagno animarum detrimento catholica nunc Ecclesia, et ipsa civilis societas miserandum in modum premitur ac divexatur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, teterrimum sane bellum contra rem catholicam universam ab iis hominibus conflatum, qui inimici Crucis Christianam non sustinentes doctrinam, nefaria inter se societate conjuncti quaecumque ignorant, blasphemant, ac pravis cujusque generis artibus sanctissimae nostrae religionis, et humanae societatis fundamenta labefactare, immo, si fieri unquam posset, penitus evertere, omniumque animos mentesque perniciosissimis quibusque erroribus imbuere, corrumpere et a catholica religione avellere moliuntur. Nimirum callidissimi isti fraudum artifices, et fabricatores mendacii non cessant monstrosa quaeque veterum errorum portenta jam sapientissimis scriptis toties profligata ac depulsa, gravissimoque Ecclesiae judicio damnata e tenebris excitare, eaque novis, variis ac fallacissimis formis verbisque expressa exaggerare, et modis omnibus usquequaque disseminare. Hac funestissima ac diabolica prorsus arte rerum omnium scientiam contaminant, deturpant, mortiferum ad animarum perniciem virus diffundunt, effrenatam vivendi licentiam, et pravas quasque cupiditates fovent, religiosum ac socialem ordinem invertunt, et omnem justitiae, veritatis, juris, ho-

nestatis et religionis ideam extinguere conantur, et sanctissima Christi dogmata, doctrinam irrident, contemnunt, oppugnant. Horret quidem refugitque animus, ac reformidat vel leviter attingere praecipuos tantum pestiferosque errores, quibus hujusmodi homines miserrimis hisce temporibus divina et humana cuncta permiscent.

Nemo Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, ab hujusmodi hominibus plane destrui necessariam illam cohaerentiam, quae Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est, itemque ab ipsis omnino immutari, subverti, deleri propriam, veram germanamque divinae revelationis indolem, auctoritatem, Ecclesiaeque constitutionem et potestatem. Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et jus divinae originis audacissime denegare non metuant. Siquidem haud erubescunt asserere, philosophicarum rerum, morumque scientiam, itemque civiles leges posse et debere a divina revelatione, et Ecclesiae auctoritate declinare, et Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem plane liberam, nec pollere suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis esse definire, quae sint Ecclesiae jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat. Hinc perverse comminiscuntur, civilem potestatem posse se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fidelis populi cum Romano Pontifice supremo totius Ecclesiae Pastore divinitus constituto libere ac mutuo communicent, ut plane dissolvatur necessaria et arctissima illa conjunctio, quae inter membra mystici corporis Christi, et adspectabile suum Caput ex divina ipsius Christi Domini institutione esse omnino debet. Nihil vero timent omni falla-

cia ac dolo in vulgus proferre, sacros Ecclesiae ministros, Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium jure ac dominio esse omnino excludendos.

Summa praeterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam revelationem esse imperfectam, et iccirco subjectam *continuo et indefinito* progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde jactare, prophetias et miracula in sacris Litteris exposita et narrata esse poetarum commenta, et sacrosancta divinae fidei nostrae mysteria philosophicarum investigationum summam, ac divinis utriusque testamenti libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Jesum Christum, horribile dictu! mythicam esse fictionem. Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem. Insuper inficiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eandemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere. Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium jus tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat.

At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut caelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. In-

signi enim improbitate ac pari stultitia haud timent assere-
re, nullum supremum sapientissimum providentissimumque
Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinc-
tum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et iccirco im-
mutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et
mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere
substantiam, ac unam eandemque rem esse Deum cum
mundo, ac proinde spiritum cum materia, necessitatem cum
libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum
cum injusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium,
nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi et exco-
gitari unquam potest. De auctoritate autem et jure ita te-
mere effutiunt, ut impudenter dicant, auctoritatem nihil
aliud esse, nisi numeri, et materialium virium summam, ac
jus in materiali facto consistere, et omnia hominum offi-
cia esse nomen inane, et omnia humana facta juris vim ha-
bere.

Jam porro commenta commentis, deliramenta delira-
mentis cumulantes, et omnem legitimam auctoritatem, at-
que omnia legitima jura, obligationes, officia conculcantes
nihil dubitant in veri legitimique juris locum substituere fal-
sa ac mentita virium jura, ac morum ordinem rerum mate-
rialium ordini subjicere. Neque alias vires agnoscunt, nisi
illas, quae in materia positae sunt, et omnem morum disci-
plinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis
quovis modo divitiis, et in pravis quibusque voluptatibus ex-
plendis. Atque hisce nefariis abominandisque principiis re-
probam carnis spiritui rebellis sensum tuentur, fovent, ex-
tollunt, illique naturales dotes ac jura tribuunt, quae per
catholicam doctrinam conculcari dicunt, omnino despicien-
tes monitum Apostoli clamantis «si secundum carnem vixe-
ritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveri-

tis, vivetis» (1). Omnia praeterea legitimae cujusque proprietatis jura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur jus quoddam *nullis circumscriptum limitibus*, quo reipublicae Statum pollere existimant, quem omnium jurium originem et fontem esse temere arbitrantur.

Dum vero hos praecipuos infelicissimae nostrae aetatis errores dolenter ac raptim perstringimus, recensere omitimus, Venerabiles Fratres, tot alias innumerabiles falsitates et fraudes Vobis apprime notas ac perspectas, quibus Dei hominumque hostes rem tum sacram tum publicam perturbare et convellere committuntur. Ac silentio praetermittimus multiplices gravissimasque injurias, calumnias, convicia, quibus sacros Ecclesiae ministros, et hanc Apostolicam Sedem dilacerare et insectari non desinunt. Nihil loquimur de iniqua sane hypoerisi, qua funestissimae in Italia praesertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle, Ecclesiam sua gaudere libertate, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius Ecclesiae jura et leges quotidie magis proculcant, ejusque bona diripiunt, et Sacrorum Antistites, ecclesiasticosque viros suo munere praeclares fungentes quoquo modo divexant, et in carcerem detrudunt, et Religiosorum Ordinum Alumnos, ac Virgines Deo sacras e suis coenubiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquunt, ut ipsam Ecclesiam in turpissimam redigant servitutum, et oprimant. Ac dum singularem certe ex optatissima Vestra praesentia voluptatem percipimus, Vos ipsi videtis, quam libertatem nunc habeant Venerabiles Fratres Sacrorum in Italia Antistites, qui strenue constanterque praeliantes praelia Domini minime potuerunt

(1) Ad Rom. c. 8, v. 13.

cum summo animi Nostri dolore, adversantium opera, ad Nos venire, et inter Vos versari, atque huic adesse conventui, quod summopere optavissent, quemadmodum infelicis Italiae Archiepiscopi et Episcopi suis Litteris summi erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amoris et obsequii plenissimis significarunt. Neminem etiam ex Sacrorum in Lusitania Antistitibus hic adesse cernitis, ac non parum dolemus, inspecta difficultatum natura, quae obstiterunt, quominus ipsi romanum iter agredi possent. Recensere autem omittimus tot alia sane tristia et horrenda, quae ab hisce perversarum doctrinarum cultoribus cum incredibili Nostro ac Vestro, et omnium bonorum luctu patrantur. Nihil item dicimus de impia conspiratione, et pravis cujusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem hujus Apostolicae Sedis principatum omnino evertere ac destruere volunt. Juvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis Sacrorum Antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis hujusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctae Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili potestati subjectus supremam universi Domini gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Cristo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac majori ejusdem Ecclesiae, et fidelium bono, utilitati et indigentis consulere possit.

Quae hactenus lamentati sumus, Venerabilis Fratres, luctuosum plane exhibent spectaculum. Quis enim non videt tot pravorum dogmatum iniquitate, ac tot nequissimis deli-

ramentis et machinationibus magis in dies christianum populum misere corrumpi, et ad exitium impelli, et catholicam Ecclesiam, ejusque salutarem doctrinam ac veneranda jura et leges, sacrosque ministros oppugnari, et iccirco omnia vitia et scelera invalescere ac propagari, et ipsam civilem societatem exagitari?

Nos itaque Apostolici Nostri ministerii probe memores, ac de spirituali omnium populorum bono et salute Nobis divinitus commissa vel maxime solliciti, cum «aliter» ut sanctissimi decessoris Nostri Leonis verbis utamur «Nobis commisos regere non possimus, nisi hos, qui sunt perditores et perditii, zelo fidei Dominicae persequamur, et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus» (1), in hoc amplissimo Vestro consensu Apostolicam Nostram attollentes vocem omnes commemoratos praesertim errores non solum catholicae fidei ac doctrinae, divinis ecclesiasticisque legi et justitiae, rectaeque rationi omnino repugnantes et summopere adversos reprobamus, proscribimus atque damnamus.

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, et Dominici gregis Custodes, ac Pastores, etiam atque etiam excitamus et obtestamur, ut pro proximia Vestra religione et episcopali zelo pergatis, veluti adhuc cum summa Vestri Ordinis laude fecistis, omni cura, sedulitate et studio fideles Vobis traditos ab hisce venenatis pascuis arcere, et qua voce, qua opportunis scriptis tot perversarum opinionum monstra refellere et profligare. Optime enim scitis de summa regi, cum agatur de sanctissimae fidei nostrae, ac de catholicae Ecclesiae, ejusque doctrinae causa, de populorum salute, et humanae societatis bono ac tranquillitate. Itaque,

(1) Epist. VII ad Episc. per Ital. c. 2 edit. Baller.


quantum in Vobis est, ne desinatis unquam a fidelibus avertere tam dirae pestis contagia, idest ab eorum oculis manibusque perniciosos libros et ephemerides eripere, ipsosque fideles sanctissimis augustae nostrae religionis praeceptionibus assidue imbuere et erudire, ac monere et exhortari, ut ab hisce iniquitatis magistris, tamquam á facie colubri effugiant. Pergite Vestras omnes curas cogitationesque in id potissimum conferre, ut Clerus sancte scienterque instituat, omnibusque virtutibus fulgeat, ut utriusque sexus juventus ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem sedulo formetur, ut salutaris sit studiorum ratio. Ac diligentissime advigilate et prospicite, ne in humaniores litteras, severioresque disciplinas tradendas aliquid unquam irrepat quod fidei, religioni, bonisque moribus adversetur. Viriliter agite, Venerabiles Fratres, et ne animo unquam concidatis in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, sed divino auxilio omnino freti, ac *sumentes in omnibus scutum inexpugnabile aequitatis et fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei*, ne intermittatis omnium catholicae Ecclesiae, et hujus Apostolicae Sedis hostium conatibus consistere, eorumque tela retundere et impetus frangere.

Interim vero dies noctesque, sublatis ad caelum oculis, non desistamus, Venerabiles Fratres, clementissimum misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis, qui de tenebris facit lucem splendescere, quique potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, in humilitate cordis nostri ferventissimis precibus indesinenter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi velit christianae et civili reipublicae auxiliariam porrigere dexteram, omnesque disperdere errores et impietates, ac divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustrare, illosque ad se convertere et revocare, quo Ecclesia sua san-

eta optatissimam assequatur pacem, et ubique terrarum majora in dies incrementa suscipiat, ac prospere vigeat et efflorescat. Ut autem quae petimus et quaerimus facilius consequi possimus, ne cessemus adhibere primum deprecatricem apud Deum Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae misericordissima, et amantissima nostrum omnium mater cunctas semper interemit haereses, et cujus nullum apud Deum praesentius patrocinium. Petamus quoque suffragia tum sancti ejusdem Virginis Sponsi Josephi, tum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque caelitem, et illorum praesertim, quos nuper Sanctorum fastis adscriptos colimus et veneramus.

Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis temperare non possumus, quin iterum testemur et confirmemus, summa Nos uti consolatione, dum jucundissimo Vestrum omnium conspectu fruimur, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, pietate et observantia Nobis et huic Petri Cathedrae firmiter obstricti, ac misterium Vestrum implentes majorem Dei gloriam, et animarum salutem omni studio procurare gloriamini, quique concordissimis animis, atque admirabili sane cura et amore una cum aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis et fidelibus Vestrae et illorum curae commissis gravissimas Nostras angustias et acerbitatis modis omnibus lenire et sublevare non desinitis. Quocirca hac etiam occasione amantissimi aequae ac gratissimi animi Nostri sensus erga Vos, et alios omnes Venerabiles Fratres, et ipsos fideles amplissimis verbis palam publiceque profiteremur. A Vobis autem exposcimus, ut cum ad Vestras redieritis Dioeceses velitis eisdem fidelibus Vestrae vigilantiae conceditis hos animi Nostri sensus Nostro nomine nuntiare, illosque certiores facere de paterna Nostra in illos caritate, deque Apostolica Benedictione, quam ex intimo corde profectam,

et cum omnis verae felicitatis voto conjunctam Vobis ipsis, Venerabilis Fratres, et eisdem fidelibus impertire vehementer laetamur.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO IX PONTIFICI MAXIMO

SACRORUM ANTISTITES

SACRIS SOLEMNIIS SANCTORUM NOVENSILIIUM

MARTYRUM XXVI JAPONIAE

ET

MICHAELIS DE SANCTIS

ROMAE ADSTANTES

DIE FESTO PENTECOSTES ANNI MDCCCLXII.

Beatissime Pater: Ex quo Apostoli Jesu Christi sacro Pentecostes die Petro Ecclesiae Capiti in oratione adhaerentes, Spiritum Sanctum acceperunt, et divino ejus impulsu acti, cunctarum fere nationum viris in Urbe sancta congregatis, unicuique sua lingua potentiam Dei mirabilem annuntiarent, nunquam, ut credimus, ad hanc usque diem tot eorundem haeredes, iisdem recurrentibus solemniis, venerandum Petri Successorem, orantem circumsteterunt, decernentem audierunt, regentem roborarunt. Quemadmodum vero Apostolis media inter nascentis Ecclesiae pericula nil jucundius accidere potuit, quam divino Spiritu recens afflato assistere

primo Christi in terris Vicario ; ita nec nobis praesentes inter Ecclesiae sanctae angustias , antiquius sanctiusve aliud esse potuit , quam quidquid inest venerationis pietatisque erga Sanctitatem Tuam pectoribus nostris , ad pedes Beatitudinis Tuae deponere , simul et unanimiter declarare , quanta prosequamur admiratione praeclaras , quibus Supremus Pontifex Noster eminent virtutes , quantoque animo iis quae Petrus alter docuit , vel quae tam firmiter stata rataque esse voluit , adhaereamus .

Corda nostra novus inflamat ardor , vividior fidei lux mentem illuminat , sanctior animam corripit amor . Linguas nostras flammis illius sacri ignis vibrantes sentimus , quae Mariae , cui assidebant Apostoli , mitissimum cor ardentiori pro hominum salute desiderio incendebant , ipsos vero Apostolos ad magnaia Dei praedicanda impellebant .

Plurimas igitur agentes Beatitudine Tuae gratias , quod nos ad Pontificium solium difficillimis hisce temporibus accurrere , Te afflictum solari , nostrosque Tibi , cleri item ac populi nostrae curae commissorum animi sensus aperire permiseris , Tibi uno ore unaque mente acclamamus , omnia fausta , cuncta bona adprecantes . Vive diu , Sancte Pater , valeque ad Catholicam regendam Ecclesiam . Perge , ut facis , eam Tuo robore tueri , tua prudentia dirigere , Tuis exornare virtutibus . Praei nobis , ut bonus Pastor , exemplo , oves et agnos coelesti pabulo pasce , aquis sapientiae coelestis refice . Nam Tu sanae doctrinae nobis Magister , Tu unitatis centrum , Tu populis lumen indeficiens a divina Sapiencia prae paratum . Tu Petra es , et ipsius Ecclesiae fundamentum , contra quod inferorum portae numquam praevalebunt . Te miramur inter tantas molestias totque procellas fronte serena et imperturbato animo sacri muneris partibus fungentem , invictum et erectum .

Dum tamen justissima in his gloriandi nobis suppetunt argumenta, non possumus quin simul oculos ad tristia convertamus. Undequaque enim menti nostrae se sistunt immania eorum facinora, qui pulcherrimam Italiae terram, cujus Tu, Beatissime Pater, columnen es et decus, misere vastarunt, ipsumque Tuum ac Sanctae Sedis principatum, ex quo praeclara quaeque in civilem societatem veluti ex suo fonte dimanarunt, labefactare, ac funditus evertere connituntur. Nam neque perennia saeculorum jura, neque diuturna regiminis pacifica possessio, neque tandem foedera totius Europae autoritate sancita et confirmata impedire potuerunt, quominus omnia susdeque verterentur, spretis legibus omnibus, quibus hactenus suffulta stabant imperia.

Sed ut ad nostra propius accedamus, Te, Beatissime Pater, iis provinciis, quarum ope, et dignitati Sanctae Sedis, et totius Ecclesiae administrationi aequissime providebatur, nefario usurpatorum hominum scelere, qui non habent *nisi velamen malitiae libertatem*, spoliatum cernimus. Quorum iniquae violentiae cum Sanctitas Tua invictissimo animo obstiterit, plurimas ei gratias, Catholicorum omnium nomine, censemur rependendas.

Civilem enim Sanctae Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnosimus; nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae Caput Romanum Pontificem nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse, et in nobili, tranquilla, et alma libertate Catholicam Fidem tueri, ac propugnare, totamve regere ac gubernare Christianam rempublicam.

Quis autem inficiari possit in hoc rerum humanarum, opinionum, institutionumque conflictu necessarium esse ut servetur extrema in Europa medius, tres inter veteris mundi continentes, quidam veluti sacer locus, et Sedes augustissima, unde populis principibusque vicissim oriatum vox quaedam magna potensque, vox nempe justitiae et veritatis, nulli favens prae caeteris, nullius obsequens arbitrio, quam nec terrendo comescere, nec ullis artibus quisquam possit circumvenire?

Qui porro vel hac vice fieri potuisset, ut Ecclesiae Antistites securi huc ex toto orbe accurrerent cum Sanctitate Tua de rebus gravissimis acturi, si ex tot et tam diversis regionibus gentibusque confluentes, principem aliquem invenissent his oris dominantem, qui vel principes ipsorum in suspicionem haberet, vel illis, suspectus ipse, adversaretur? Sua sunt etenim et christiano, et civi officia: haud quidem repugnantia inter se, sed diversa tamen: quae adimpleri ab Episcopis quomodo possent, nisi perstaret Romae civilis principatus, qualis est Pontificum, juris alieni omnino immunis, et centrum quodammodo universalis concordiae, nihil ambitionis humanae spirans, nihil pro terrena dominatione moliens?

Ad liberum ergo Pontificem Regem venimus liberi, Ecclesiae rebus utpote Pastores, et patriae utpote cives bene et aequae consulentes, neque Pastorum, neque civium officia posthabentes.

Quae cum ita sint, quisnam principatum illum tam veterem, tanta auctoritate, et tanta necessitatis vi conditum, audeat impugnare? Cui, si vel jus illud humanum, in quo posita est principum securitas populorumque libertas attendatur, quaenam alia potestas possit comparari? Quae tam venerabilis et sancta? Quae sive pristinis sive recentioribus sae-

culis monarchia vel respublica juribus tam augustis, tam antiquis, tam inviolabilibus possit gloriari? Quae omnia si semel et in hac Sancta Sede despecta atque proculcata fuerint, quisnam vel princeps de regno, vel respublica de territorio possint esse securi? Ergo, Sanctissime Pater, pro religione quidem, sed et pro justitia, juribusque, quae sunt inter gentes rerum humanarum fundamenta, contendis atque decertas.

Sed de hac tam gravi causa vix nos decet amplius verba proferre, qui Te de ipsa non tam disserentem quam docentem saepe saepius audivimus. Vox etenim Tua, quasi tuba sacerdotalis, toti orbi clangens proclamavit, quod «singulari prorsus divinae Providentiae consilio factum sit, ut Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae Caput Centrumque constituit, civilem assequeretur principatum (1);» ab omnibus igitur nobis esse pro certissimo tenendum non fortuito hoc regimen temporale Sanctae Sedi accessisse, sed ex speciali divina dispositione illi esse tributum, longave annorum serie, unanimi omnium regnorum et imperiorum consensu, ac paene miraculo corroboratum et conservatum.

Alto pariter et solemni eloquio declarasti «Te civilem Romanae Ecclesiae principatum ejusque temporales possessiones ac jura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra et inviolata constanter tueri, et servare velle; immo Sanctae Sedis Principatus Beatique Petri patrimonii tutelam ad omnes Catholicos pertinere; Teque paratum esse animam potius ponere quam hanc Dei, Ecclesiae, ac jus-

(1) Lit. Ap. XXVI mar. 1860 p. 5. 5. Allocutio XX Jun. 1859 p. 6. Encycl. XIX Jun. 1860 p. 4. Allocutio XVII. dec. 1860.

titiae causam ullo modo deserere (1).» Quibus praeclaris verbis nos acclamantes ac plaudentes respondemus, nos Te cum et ad carcerem et ad mortem ire paratos esse; Teque humiliter rogamus, ut in hac constantia, ac firmissimo proposito maneat immobilis, Angelis et hominibus invicti animi et summae virtutis spectaculum factus. Id etiam á Te postulat Christi Ecclesia pro cujus feliciore regimine Romanis Pontificibus civilis principatus providentissime fuit attributus, quaeque adeo sensit ejusdem tutelam ad ipsam pertinere, ut, Sede olim Apostolica vacante, gravissimis in angustiis, temporales Romanae Ecclesiae possessiones omnes Constantiensis Concilii Patres, uti ex publicis patet documentis, in unum administrarent; id postulant Christi fideles per omnes terrarum orbis regiones dispersi, qui libere ad Te venire, libereque conscientiae suae consulere gestiunt; id denique ipsa civilis deponit societas, quae ex Tui regiminis subversione sua ipsa nutare sentit fundamenta.

Sed quid plura? Tu tandem aliquando scelestos homines et bonorum ecclesiasticorum direptores justo iudicio damnas omnia quae patravérant «irrita et nulla» proclamasti (2); actus omnes ab iis intentatos «illegitimos omnino et sacrilegos» esse decrevisti (3); ipsosque talium facinorum reos poenis et censuris ecclesiasticis obnoxios jure ac merito declarasti (4).

Hos tam graves Tui oris sermones, tamve preclara gesta nostrum est reverenter excipere, iisque plenum assensum renovare. Sicuti enim corpus capiti, cui jungitur membro-

(1) Epist. Encycl. XIX Jan. 1860 pag. 7. 8.

(2) Allocutio XXVI Sept. 1859 p. VII.

(3) Allocutio XX Jun. 1859 p. 8.

(4) Litterae Apostolicae XXVI martii 1860.

rum compagine unaque vita, in omnibus condolet, ita nos Tecum consentire necesse est. Tibi in omni Tua hac acerbissima afflictione, sic conjungimur, ut quae Tibi pati contingat, eadem et nos, amoris consensu, patiamur. Deum interea supplices invocamus, ut tam iniquae rerum perturbationi finem ponat, Ecclesiamque Filii sui sponsam, tam misere expoliatam ac oppressam pristino decori ac libertati restituat.

Sed mirum nobis non est tam acriter, et infense Sedis Apostolicae jura impeti et impugnari. Jam enim a pluribus annis, eo devenit nonnullorum hominum insania, ut non amplius singulas Ecclesiae doctrinas rejicere, vel in dubium revocare conentur; sed totam penitus veritatem christianam, christianamque rempublicam funditus evertere sibi proponant. Hinc impiissima tentamina vanae scientie, falsaeque eruditionis contra Sacrarum Litterarum doctrinas, ipsarumque inspirationem; hinc malesana sollicitudo juventutem Ecclesiae matris tutelae subtractam quibusvis saeculi erroribus, vel seclusa saepius omni religiosa institutione, imbuedi; hinc novae eaeque perniciosissimae de sociali, politico aequae ac religioso rerum ordine theoriae, quae impune quaeversum sparguntur; hinc multis familiare, in his praesertim oris, Ecclesiae auctoritatem spernere, jura sibi vindicare, praecepta proculcare, ministros vilipendere, cultum deridere, ipsos de religione errores, imo ecclesiasticos quoque viros in perditionis viam misere abeuntes laudare ac in honore habere. Venerabiles Antistites ac Dei Sacerdotes exauctorantur, exulare coguntur, aut in carceres detruduntur; quinimo ante tribunalia civilia, pro constantia in sacro ministerio obeundo, contumeliose pertrahuntur. Gemunt Christi Sponsae suis expulsae tectis, inedia fere consumptae, vel cito consumendae; viri religiosi ad saeculum invitati remeare

coguntur; sacro Ecclesiae patrimonio violentae manus injiciuntur; pessimorum librorum, ephemeridum, et imaginum colluvie, fidei, moribus, veritati, ipsi verecundiae continuum asperrimumque velum infertur.

Sed qui talia moliantur optime norunt in Santa Sede, velut in arce inexpugnabili, robur ac vires omnis veritatis ac justitiae inesse, quibus retundantur hostium impetus; ibi esse speculam, ex qua vigiles Summi Custodis oculi paratas insidias a longe conspiciunt, suis annuntiadas commilitonibus. Hinc odium implacabile, hinc insanabilis livor, hinc continuum scelestissimorum hominum studium, ut Sanctam Romanam Ecclesiam ejusque Sedem deprimant, ac si fieri umquam posset, prorsus excendant.

Quis, Beatissime Pater, talia conspiciens, vel etiam recensita audiens sibi temperet a lacrymis? Justo igitur dolore correpti oculos ac manus ad coelos levamus, Divinum illum Spiritum toto mentis affectu implorantes, ut qui hac die olim nascentem Ecclesiam sub Petri regimine santificavit et roboravit; eam nunc, Te Pastore, Te Duce, tutetur, ampliet, ac glorificet. Testis sit votorum quae nuncupamus, Maria per Te Immaculatae titulo hoc ipso in loco solemniter aucta; testes hi sacri cineres quos veneramur Sanctorum Romanae Ecclesiae Patronorum Petri et Pauli, testes venerandae exuvie tot Pontificum, Martyrum, ac Confesorum, quae hanc ipsam, quam premimus terram, sanctam reddunt; testes tandem praecipue nobis adstant Sancti isti, qui Coelitem Ordini hac ipsa die supremo Tuo judicio adscripti, hodie Ecclesiae tutelam novo titulo sunt suscepturi, primasque Omnipotenti Deo preces pro Tua quoque incolumitate suis de altaribus oblaturi.

Adstantibus igitur istis omnibus, nos Episcopi, ne illud impietas vel ignorare simulet, vel audeat denegare, errores

quos Tu damnasti, damnamus, doctrinas novas et peregrinas, quae in damnum Ecclesiae Jesu Christi passim propalantur, detestamur, et rejicimus; sacrilegia, rapinas, immunitatis ecclesiasticae violationes, aliaque nefanda in Ecclesiam, Petrique Sedem commissa reprobamus, et condemnamus.

Hanc vero protestationem, quam publicis Ecclesiae tabulis adscribi petimus, Fratrum etiam nostrorum qui absunt nomine, tuto proferimus; sive eorum qui, tot inter angustias, vi detenti domi hodie silent ac plorant, sive qui gravibus negotiis, aut adversa valetudine impediti, nobiscum hodie adesse nequiverunt. Jungimus insuper nobis fidelem nostrum Clerum ac populum, qui eodem ac nos in Te amore, eadem pia reverentia animati, suum in Te studium, qua precibus sine intermissione fuis, qua opibus in Obulo S. Petri mira, ut plurimum, largitate oblatis luculentissime comprobaverunt, probe scientes sacrificiis suis id quoque curari, ut dum necessitatibus Supremi Pastoris consulitur, simul et ejusdem libertati servandae prospiciatur.

Utinam ad communem hanc totius Orbis christiani, imo omnis socialis ordinis causam in tuto locandam universi populi conspirarent!

Utinam intelligerent erudirenturque Reges et saeculi potestates, causam Pontificis omnium principum regnorumque esse causam, et quo tendant nefarii adversariorum ejus conatus, ac tandem *novissima providerent!*

Utinam respiscerent infelices illi aliquot ecclesiastici et religiosi viri qui vocationis suae immemores debitam Ecclesiae Praesulibus obedientiam denegantes, atque ipsum quoque Ecclesiae magisterium temere usurpantes, in viam perditionis abierunt!

Hoc a Domino Tecum flentes, Beatissime Pater, enixe

atque ex corde exoramus, dum ad Tuos sacros pedes pro-
voluti, a Te robur coeleste expetimus, quod Apostolica ac
paterna benedictio Tua valet impertire. Sit haec copiosa et
ex intimis penentralibus Cordis Tui largiter effluens, ut non
tantum nos, sed absentes quoque dilectissimos Fratres, item-
que Fideles nobis commissos irriget ac perfundat. Sit talis
quae nostros et totius Orbis dolores leniat et demulceat, in-
firmitatem sublevet, operam ac laborem foecundet, felicio-
ra demum Ecclesiae Sanctae Dei tempora acceleret. Romae
hac die VIII mensis Junii anno Domini MDCCCLXII.

Marius card. Mattei episc. Ostiensis et Veliternensis.

Constantinus card. Patrizi episc. Portuensis et S. Rufinae.

Aloisius card. Amat episc. Praenestinus.

Antonius Maria card. Cagiano de Azevedo episc. Tusculanus.

Hieronimus card. D'Andrea episc. Sabinensis.

Ludovicus card. Altieri episc. Albanensis.

Engelbertus card. Sterckx archiep. Mehliniensis.

Ludovicus Jacobus Mauritius card. De Bonald archiep. Lug-
dunensis.

Fridericus Joannes Joseph card. Schwarzenberg archiep.
Pregensis.

Dominicus card. Carrafa de Traetto archiep. Beneventanus.

Xyxtus card. Riario Sforza archiep. Neapolitanus.

Jacobus Maria Ant. Caesar card. Mathieu archiep. Bisuntinus.

Thomas card. Gousset archiep. Rhemensis.

Nicolaus card. Wiseman archiep. Westmonasteriensis.

Franciscus Augustus card. Donnet archiep. Burdigalensis.

Joannes card. Scitowcki archiep. Strigoniensis.

Franciscus Nicolaus Maddalena card. Morlot archiep. Pari-
siensis.

Joseph Maria card. Milesi Abbas commend. et ordinarius

Trium Fontium.

- Michael card. Garcia Cuesta archiep. Compostellanus.
 Cajetanus card. Bedini episc. Viterbiensis et Tuscanensis.
 Ferdinandus card. De la Puente archiep. Burgensis.
 Melchiades Ferlisi patr. Constantinopolitanus.
 Carolus Belgrado patr. Antiochenus.
 Joseph Trevisanato patr. Veneciarum.
 Thomas Iglesias y Barcones patr. Indiarum Occidentalium.
 Antonius Hassum Primas Constantinopolitanus rit. armen.
 Aloisius Maria Cardelli archiep. Achridensis.
 Stephanus Missir archiep. Hierenopolitanus rit. graec.
 Laurentius Trioche archiep. Babilonensis Latinorum.
 Tobias Aun archiep. Berytensis Maronitar.
 Emmanuel Marongiu-Nurra archiep. Calaritanus.
 Joannes Joseph Maria De Jerphanion archiep. Albiensis.
 Joannes Franc. Cometti archiep. Nicomediensis.
 Mellonus Jolly arciep. Senonensis.
 Leo de Przyluski archiep. Gnesnensis et Posnaniensis.
 Alexander Asinari de Sanmarzano archiep. Ephesinus.
 Edoardus Hurmuz archiep. Siracensis arm. rit.
 Raphael D'Ambrosio archiep. Durrachiensis.
 Joseph Maria de Belay archiep. Avenoniensis.
 Paulus Cullen archiep. Dublinensis.
 Thomas Ladovicus Connolly archiep. Halifaxiensis.
 Joannes Baptista Purcell archiep. Cincinnatiensis.
 Joannes Hugues archiep. Neo-Eboracensis.
 Renatus Franciscus Règner archiep. Camaracensis.
 Maximilianus de Tarnoczy archiep. Salisburgensis.
 Antonius Ligi Bussi archiep. Iconiensis.
 Aloisius Clementi archiep. Damascenus.
 Silvester Guevara archiep. de Venezuela.
 Joannes Zwysen archiep. Ultrajectensis.

- Fridericus de Frustemberg. archiep. Olomucensis.
 Paulus Brunoni archiep. Taronensis.
 Athanasius Sabugh archiep. Tyrenus Melchitar.
 Andreas Bizzarri archiep. Philippensis.
 Franciscus Xav. Apuzzo Archiep. Surrentinus.
 Andreas Gollmayr archiep. Goritiensis et Gradiscanus.
 Vincentius Tizzani archiep. Nisibinus.
 Petrus Villanova Catellacci archiep. Petrensis.
 Vincentius Spaccapietra archiep. Smyrnensis.
 Michael Alexandriorum archiep. Hyerosolimitanus armenor.
 Marianus Ricciardi archiep. Reginensis.
 Salvator Nobeli Vitelleschi archiep. Seleuciensis.
 Alexander Franchi archiep. Thessalonicensis.
 Gregorius Scherr archiep. Monacensis et Frisingensis.
 Georgius Claudius Ludovicus Pius Chalandon archiep. A-
 quensis.
 Joseph Dominicus Costa y Borrás archiep. Tarraconensis.
 Ludovicus de la Lastra y Cuesta archiep. Vallisolitanus.
 Gustavus d'Hohenlohe archiep. Edessenus.
 Cajetanus Pace-Forno archiep. Militensis.
 Philippus Gallo archiep. Patracensis.
 Petrus Giannelli archiep. Sandienseis.
 Emmanuel Gargia Gil archiep. Caesaraugustanus.
 Goffredus Saint-Marc archiep. Rhedonensis.
 Julianus Florianus Desprez archiep. Tolosanus.
 Spiridion Maddalena archiep. Corcyrensis.
 Marianus Barrio y Fernandez archiep. Valentinus.
 Franciscus August. Delamare archiep. Anxitanus.
 Carolus De la Tour D'Avergne Lauraguais archiep. Bituri-
 censis.
 Meledius archiep. Dramas rit. graeci.
 Petrus Dominicus Maupas archiep. Jadrensis.

- Ignatius Giustiniani episc. Chiensis.
 Rafael Sanctes Casanelli episc. Adjacensis.
 Ludovicus Carolus Feron episc. Claromontensis.
 Guillelmus Sillani episc. Jam Terracinensis.
 Nicolaus Joseph Dehessele episc. Namurcensis.
 Ignatius Aourget episc. Marianopolitanus.
 Jacobus Gillis episc. Lymirensis.
 Federicus Gabriel De Marguerye episc. Augustodunensis.
 Joseph Montieri episc. Aquinatensis, Pontis Curvi et Soranus.
 Ludovicus Joseph Delebecque episc. Gandavensis.
 Ludovicus Besi episc. Canopensis.
 Georgius Antonius Srahl episc. Erbipolensis.
 Thomas Joseph Brown episc. Neoportensis.
 Carolus Gigli episc. Tiburtinus.
 Franciscus Maria Vivert episc. Maurianensis.
 Joannes Armatus De Vesins episc. Agenensis.
 Joannes Topich episc. Philippopolitanus.
 Nicolaus Crispigni episc. Mandelensis.
 Andreas Raesz episc. Argentinensis.
 Nicolaus Weis episc. Spirensis.
 Joseph Armandus Gignoux episc. Bellovacensis, Narionien-
 sis et Sylvanectensis.
 Joannes Baptista Leonardus Bertaud episc. Tutelensis.
 Joannes Jacobus David Bardon episc. Cadurcensis.
 Guillelmus Arnoldi episc. Trevirensis.
 Joannes Franciscus Wheland episc. Aureliopolitanus.
 Paulus Georgius Dupont des Loges episc. Metensis.
 Joannes Bernardus Fitzpatrick episc. Bostoniensis.
 Joannes Mac Closkey episc. Albanensis in Amer.
 Petrus Severini episc. Sappensis in Albania.
 Joannes Martinus Henny episc. Milwachiensis.
 Joannes Baptista Rosani episc. Aerytrensensis.

- Joannes Donney episc. Montis Albani.
 Petrus Joseph De Preux episc. Sedunensis.
 Gaspar Borowski episc. Luceoriensis et Zytomeriensis.
 Carolus Mac-Nally Clogheriensis.
 Bernardus Maria Tirabassi episc. Ferentinus.
 Urbanus Bogdanovich episc. Europensis.
 Jacobus Maria Joseph Baillès episc. Jam Luconensis.
 Joannes Baptista Pelli episc. Aquipendensis.
 Stephanus Marilley episc. Lausannensis et Genovens.
 Theodorus Augustinus Forcade episc. Nivernensis.
 Ludovicus Antonius August. Pavy episc. Julia Caesarensis.
 Antonius Martynus Slomscher episc. Lavantinus.
 Guillelmus Bernardus Ullathorne episc. Birminghamiensis.
 Aloisius Ricci episc. Singninus.
 Joseph August. Victor. De Morlhon episc. Aniciensis.
 Joannes Timon episc. Buffalensis.
 Amadeus Rappe episc. Clevelandensis.
 Guillelmus Keane episc. Cloynensis.
 Joseph Maria Benedictus Serra episc. Dauliensis.
 Paulus Dodmassei episc. Alexiensis.
 Angelus Parsi episc. Nicopolitanus.
 Joannes Georgius Müllier episc. Monasteriensis.
 Camillus Bisleti episc. Cornetanus et Centumcellarum.
 Joannes Thomas Mullock episc. S. Joann. de Terra Nuova.
 Dominicus Canubio y Alberto episc. Segobricensis.
 Joannes Antonius Balma episc. Ptholemaidensis.
 Aloisias Köbes episc. Metonensis.
 Julianus Maria Meirieu episc. Diniensis.
 Joannes Anton. Maria Foulquier episc. Mimatensis.
 Franciscus Kelly episc. Titopolitanus.
 Antonius Felix Depanloup episc. Aurelianensis.
 Joannes Antonius episc. Arethusinus.

- Joannes Ranolder episc. Vesprimiensis.
 Petrus Simon Lud. De Dreux Bréxé episc. Molinensis.
 Joseph Arachial episc. Trapezuntinus armen.
 Franciscus Petagna episc. Castrimaris.
 Guillelmus de Ketteler episc. Moguntinus.
 Antonius Carolus Cousseau episc. Engolismensis.
 Clemens Munguia episc. Mecoacanus.
 Carolus Franciscus Baillargeon episc. Thloanus.
 Guillielmus Turner episc. Salfordensis.
 Mathias Augustinus Mencacci episc. Civ. Castellanae Hortanus et Gallesinus.
 Joannes Petrus Mabile episc. Varsaliensis.
 Thomas Grant episc. Suthwarcensis.
 Cajetanus Brinciotti episc. Balneoregiensis.
 Joannes Bapt. Paulus Maria Lyonnet episc. Valentinensis.
 Ignatius Feirgelle episc. S. Hippoliti.
 Ludovicus Haynald. episc. Transilvaniensis.
 Joannes Jacobus Antonius Guerrin episc. Lingonensis.
 Ludovicus Eugenius Regnault episc. Carnutensis.
 Joseph La-Rocque episc. S. Hyacinthi.
 Joseph Cardoni episc. Caristensis.
 Gesualdus Vitali episc. Agathopolitanus.
 Laurentius Biancheri episc. Legionensis.
 Aloisius Filippi episc. Aquilanus.
 Joseph Maria Ginoulhac episc. Gratianopolitanus.
 Franciscus Joseph Rudiger episc. Linciensis.
 Joseph Caixal y Estrade episc. Urgellensis.
 Joannes Kilduff episc. Ardagadensis.
 Joannes Loughlin episc. Broklyniensis.
 Joannes Franciscus a Paula Vereá episc. De Linares.
 Jacobus Roosevell Baylay episc. Nevarcensis.
 Petrus Espinosa episc. de Guadalaxara.

Aloisius Ciurecia episc. Seodrensis.
 Ottocarus de Attems episc. Secoviensis.
 Nicolaus Bedini episc. Terracinensis.
 Ludovicus Maria Joseph. Caverot episc. S. Deodati.
 Hyeronimus Fernandez episc. Palentinus.
 David Moriarty episc. Kerriensis et Aghadonensis.
 Benedictus Riccabona episc. Tridentinus.
 Olympus Philip. Gerbet episc. Elnensis.
 Aloisius Jona episc. Montis Falisei.
 Petrus Barajas episc. S. Aloisii Potosiensis.
 David Bacon episc. Portlandensis.
 Franciscus Alexander Roulet de la Bovillerie episc. Car-
 cossonensis.
 Joannes Joseph Vitezich episc. Vegliensis et Arbensis.
 Cajetanus Rodilossi episc. Alatrinus.
 Nicolaus Renatus Sergant episc. Corisopitensis.
 Pelagius Antonius Lavastida episc. Tlascalensis.
 Guillelmus Vaughan episc. Phlymoutensis.
 Laurentius Signani episc. Sutrinus et Nepesinus.
 Nicolaus Pace episc. Amerinus.
 Claudius Enricus Planiter episc. Nemausiensis.
 Jacobus Daggan episc. Chicagiensis.
 Clemens Smith episc. Dubuquensis.
 Andreas Cassasola episc. Concordiensis.
 Antonius Joseph Jourdany episc. Forojuliensis et Tolonensis.
 Laurentius Gilooly episc. Elphinensis.
 Daniel Mac-Gettingan episc. Rapotensis.
 Joannes Dolton episc. Portus Gratiae.
 Joannes Farrell episc. Hamiltonensis.
 Stephanus Semeria episc. Olympensis.
 Carolus Nicolaus Didiot episc. Bajociensis.
 Corradus Martin episc. Paterbonensis.

- Joannes Onoratus Bara episc. Catalaunensis.
 Joseph Wiber episc. Halanensis.
 Laurentius Bergeretti episc. Sanctoriensis.
 Michael Marszewki episp. Wladislaviensis.
 Vincentius Gasser episc. Brixinensis.
 Franciscus Marinelli episc. Porphyriensis.
 Fortunatus Maurizi episc. Verulanus.
 Federicus Jacobus Wood episc. Philadelphiensis.
 Joannes Mac Eviley episc. Glaviensis.
 Thomas Furlong episc. Fernensis.
 Guillelmus Joseph Clifford episc. Cliftonensis.
 Petrus Enricus Geraud de Longalerie episc. Bellicensis.
 Ludovicus Delcausy episc. Vivariensis.
 Joannes Bapt. Scandella episc. Antinoensis.
 Paulus Melchets episc. Osnabrugensis.
 Petrus Antonius De Pompignac episc. S. Flori.
 Anastasius Rodrigus Yusto episc. Salamantinus.
 Joannes Ignatius Moreno episc. Ovetensis.
 Antonius Dominguez-y-Valdacaanus episc. Guadixensis.
 Michael O'Hea episc. Rossensis.
 Bernardus Conde y Corral episc. Placentinus Prov. Comp.
 Franciscus a Paula Benavides episc. Seguntinus.
 Ferdinandus Blanco episc. Abulensis.
 Joannes Joseph Castañer y Rivas episc. Vicensis.
 Cosmas Marrodan y Rubio episc. Tirasonensis.
 Matthaeus Jaume y Garan episc. Minoricensis.
 Petrus Lucas Asensio episc. Jacensis.
 Joseph Maria Papardo episc. Sinopensis.
 Clemens Pagliari episc. Anagninus.
 Franciscus Mac-Farland episc. Harfordiensis.
 Franciscus Lacroix episc. Bajonensis.
 Ignatius Senestrey episc. Ratisbonensis.

- Joannes Sebast. Devoucoux episc. Ebroicensis.
 Edoardus Horan episc. Kingstoniensis.
 Franciscus Kerril Amherst episc. Northantoniensis.
 Paschalis Vuihic episc. Antiphellensis.
 Andreas Rosales y Muñoz episc. Gieniensis.
 Michael Payà y Rico episc. Conchiensis.
 Petrus Cubero y Lopez de Padilla episc. Oriolensis.
 Joannes Antonius Augustus Béleval episc. Apamiensis.
 Valentinus Wiery episc. Gurcensis.
 Antonius Halagi episc. Arturiensis rit. arm.
 Joannes Joseph Lynk episc. Torontinus.
 Joseph Lopez-Crespo episc. Santanderiensis.
 Ludovicus Maria Oliverius Epivent episc. Aturensis.
 Petrus Jeremias Michael Angelus Celesia episc. **Pactensis.**
 Alexander Paulus Spoglia episc. Ripanus.
 Joannes Monetti episc. Cerviensis.
 Petrus Mac-Intyre episc. Carolinopolitanus.
 Michael Domenec episc. Pittsburgensis.
 Alexander Bonnaz episc. Csanadiensis et **Temesvarionsis.**
 Darius Bucciarelli episc. Pulatensis.
 Gherardus Petrus Wilmer episc. Harlemensis.
 Georgius Butler episc. Cidoniensis.
 Patritius Franciscus Cruica episc. Marsiliensis.
 Joseph Maria Covarubias episc. de Antequera.
 Robertus Cornthwaite episc. Beverlacensis.
 Aloisius Di Canossa episc. Veronensis.
 Laurentius Studach episc. Orthosiensis.
 Joseph Berardi archiep. electus Nicenus.

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus omnes Sacrorum Antistites, qui Romam frequentes advenerunt ob solemnem Canonizationem, et nondum Pontificio Solio adsistentes renunciati fuerant, in Collegium idem cooptantur.

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Nihil profecto contingere Nobis poterat optatius, quam ut, adjuvante Deo, sese ultro Nobis offerret occasio Sanctorum Caelitum ordinibus novos Catholicae Fidei heroes accensendi, quippe qui pro certo habeamus, aucto Caelestium Patronorum numero, praesentiori ope Deum Nos, et Ecclesiam suam luctuosissimis praesertim hisce temporibus sospitaturum. Jam vero quo majestas auspiciatissimi diei illius, quo vigintisex Beatis Viris in Japonia pro Catholica Religione interemptis, nec non Beato Michaeli De Sanctis Sanctorum honores sollemni Decreto Vaticano in Templo tribuimus, augustiori pompa illustretur, et Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi, qui cum Romam frequentes advenerint Romanum erga Pontificem, et hanc Beati Petri Cathedralam fidem, observantiamque testantur; splendidum habeant propensi erga se animi Nostri documentum, in id consilii devenimus, ut qui inter ipsos in Episcoporum coetum Pontificio Solio adsistentium nondum cooptati fuerint, eos hac amplissima dignitatis accessione cumulemus. Itaque Motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione omnes et singulos Sacros Antistites, qui ex Pontificio Solio adsistentium numero non fuerint, et adventante Pentecostes Dominica sollemni caeremoniae adstiterint, qua memoratos Ca-

tholicae Fidei adsertores, et Beatum Michaellem De Sanctis in Patriarchali Basilica Principis Apostolorum, auctore Deo, Sanctorum coetui adnumerabimus, hisce Litteris Episcoporum collegio Pontificio Solio adsistentium adensemus, eosque omnibus et singulis privilegiis, et facultatibus augemus, quibus utuntur, fruuntur, veluti frui possunt et poterunt ceteri omnes, qui id honoris per Nos, seu per Praedecessores Nostros fuerint consequuti. Haec volumus, statuimus, decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annullo Piscatoris die XXIII mensis Maii anno MDCCCLXII Pontificatus Nostri XVI.—*B. Card. Barberinus.*

Continúa la lista de los señores que contribuyen con limosnas para la solemne canonizacion del Beato Miguel de los Santos.

REALES. CÉNT.

<i>Suma anterior</i>	5,601	64
Sr. cura de Bustares.....	20	
D. Domingo Llorente, vecino de id.....	5	
Sr. Cura de Cillas.....	10	
D. Angel Lopez, capellan de id.....	4	
Sr. Cura de Terzaga.....	20	
Un devoto de Pardos.....	2	
Sr. Cura de Labros.....	8	
Sr. Cura ecónomo de Ventosa.....	6	
Sr. Arcipreste de Molina.....	12	
<i>Total recaudado</i>	5,688	61

Continúa la lista nominal por arciprestazgos y parroquias del donativo en esta Diócesis, á favor del Soberano Pontífice nuestro Santísimo Padre Pio IX.

REALES. CÉNT.

Suma de todo lo recaudado anteriormente..... 110,865 25

Arciprestazgo de Sigüenza.

El Sr. Provisor..... 208

Arciprestazgo de Atienza.

D. Eulogio de Pablo.....	40
D. Ramon Carazo.....	15
D. León Calvo, cura de Negredo.....	54
D. Vicente de Pablo, id. de Membrillera.....	36
D. José Maria del Grado, id. de S. Andres.....	10
D. Ramon Carazo.....	15
D. Vicente de Pablo.....	12
D. José Maria del Grado.....	10
D. Vicente de Pablo.....	12
D. José Maria del Grado.....	10
D. Leon Calvo.....	10
D. Alejandro Morales.....	40

Arciprestazgo de Medinaceli.

Sr. Cura de Arcos.....	17
Sr. Cura de Ablanque.....	10

Arciprestazgo de Almazan.

El Párroco y feligreses de S. Pedro de Almazan.....	248
El Párroco y feligreses de Taroda.....	111
D. Manuel Romo, cura de Matamala.....	45
El Cura propio de Viana.....	20
El Párroco de Cobertelada.....	15

Arciprestazgo de Caracena.

D. Marcos Arroyo, Arcipreste	60
D. Pedro Cuadrado.....	24

Arciprestazgo de Molina.

D. Francisco Remartinez, arcipreste.....	100
D. Juan Garcia, párroco de Amayas.....	50

Total recaudado..... 111,987 23

ANUNCIOS.

Se halla vacante la plaza de Sacristan-organista de la Iglesia parroquial de la villa de Duron, á cuyo cargo va unido el de Secretario de Ayuntamiento, con la asignacion por entrambos conceptos de 5,500 rs.

Las solicitudes se dirijirán en todo lo que resta del corriente mes á los Sres. Párroco y Alcalde de referida villa.

LIBROS DE MATRICULA.

Los Sres. Párrocos de los pueblos que á continuacion se espresan podran disponer el que pasen á recojerlos.—

Liceras.—Caravias.—Codes.—Aguilar de Anguita.—Matamala.—Sta. Maria del Prado.—El Pedregal.—Tortuera.—Traid.—Checa.—Carrascosa de Henares.—Robredarcas.—S. Tirso.—Villaseca.—Matillas.—Peralejos.—Carrascosa de Tajo.—Condemios de abajo.—Hombrados.—Castilblanco.—Sta. Maria de Calatañazor.—Coscurita.—Bordejé.—Pinilla del Olmo.—El Pobo.—Setiles.—Ablanque.—Ligos.—Torraño.—Terzaga.—Pinilla.—Trilo.—Salinas de Medina.—El Ordial.—Aldeanueva.—Bustares.—La Nava.—Lomeda.—Huertahernando.—Gárgoles de abajo.—Almántiga.—Lodares del monte.—Laina.—Sagides.—Algar.

Siguenza.—Imp. de Manuel Pita.